

pitis, in Hebræo esse dicit, *in lectione*. Sic etiam vetus interpres, septuaginta secutus, non transtulit, *dabant intelligentiam per scripturam ipsam*, sed, *intellegerunt, quum legeretur*: quam versionem etiam contextui Hebræo respondere, & admitti posse fatetur Ravanell. in suâ Bibliothecâ sacrâ Titul. de Scriptur. Distinction. 7. Num. 7. Cùm itaque *fas sit*, ut habet idem Ravanellus dicto loco, *Interpreti ex duabus interpretationibus, cum utraque textui congruit, alterutram absque vitiò sequi*: sequitur si ex hoc loco suam sententiam adstruere voluerint Reformati, illos, interpretationem suam solam veram & genuinam esse, liquidò ostendere debere. Sed, ut pateat, nihil hinc huic sententiæ roboris accedere, integrum locum examinemus. Textus igitur ex Hebræo fonte sic hauriendus, *Legebant in librò, in lege Dei, expansò, & cum attentione, & intellexerunt lectionem*. Simili ferè modò locum interpretatur Vatablus, *Legerunt in librò ipsò in lege Dei, explanatè, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt scripturam ipsam*. Consentitque pœne cum his Interpretatio Syriaca. *Dumque legerent librum legis Domini expansum, percipiebant eum, & intelligebant lectionem ejus*. Nec multùm discrepant Commentatores in Vernaculam versionem jussu Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum factam, qui ex originali textu ad marginem sic postremam loci partem transtulerunt, *Et apponendò intellectum, intellexerunt lectionem, hoc est, id quod legebatur, seu Scripturam, seu in congregatione*: cùm tamen (quod legenti mihi mirum videbatur) in ipsò contextu, exceptâ ultimâ dictione, versionem Tremellii & Junii sint secuti. Ex his autem omnibus sensum talem colligimus; *Efram* nempe, *aliosque legisse in librò, qui erat Lex Dei, & quidem (meò judiciò) expansò*, hoc est, apertò, & explicatò; quamvis plurimi habeant *explanatè*: Utebantur enim Judæi libris, non quidem chartaceis, & nostrò more compactis, inque folia & paginas distinctis; sed volubilibus, & complicabilibus; scribebant quippe, ut Veteres ferè omnes in libris arborum, id est, corticibus, quos convolvendò claudebant, & evolvendò aperiebant, unde etiam volumina appellabantur. Cui simile quid adhuc apud Judæos hodiernos obtinet, qui Pentateuchum sic complicatilem, & convolubilem in Templis suis asservant. Legebant igitur in librò, hòc modò explicatò, atque apertò, & *apposuerunt intellectum*, hoc est, attenderunt, seu attenti erant, tam lectores, quam auditores: & *intellegerunt lectionem*, seu *id quod legebatur*, hoc est, ejus mentem sensumque perceperunt, quod iterum tam lectoribus, quam auditoribus attribui potest. Atque hic si fuerit hujus loci genuinus sensus, ut nos existimamus, nihil inde, quod in rem Reformatorum sit, elici posse patet.

2. Alter, qui ex novò profertur Testamentò, locus habetur in D. Petri Epistol. 2. cap. 1. vers. 20. atque sic sonat. *Si illud primum noveritis, nullam*
Pro-